



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindellicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXIII. Christus Dominus, si attentà mente ipsum consideremus, salutarem nobis debet incutere timorem in cruce.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

quis SS. Vulneribus, sic eam affatus: Charissima filia, plurimos per gratiam meam superasti victrix confictus, quapropter mihi etiam semper gratissima extitisti, sed heri speciale mihi præstitisti beneficium, dum te despiciens ex foetenti vulnere saniem haurire ob amorem mei & proximi non abhorruisti; idcirco & ego tibi potum impertiar, omni creato liquore dulciorem. Quo dicto eam ad SS. latus & cor suum admovit: Hic, inquiebat, bibe filia mea, ex quo suavissimo haustu tantam dulcedinem advertit, ut deinceps omnem penitus recusarit cibum & potum. O animæ! gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.



CONSIDERATIO XCIII.

Crucifixus Dominus, si attenta mente ipsum consideramus, salutarem nobis debet incutere timorem.

*Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es?
Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus: hic
verò nihil mali gesit. Luc. 23. 40.*

I.

IN exitu Israel de Ægypto, ubi præeunte Moyse cum virga sua Hebræi per mare rubrum usque in adversam ripam salvi, & sicco vestigio transferunt, Pharaone interim cum exercitu suo in fluctibus submerso, subdit Scriptura: *Liberavitque Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum; & viderunt Ægyptios mortuos super littore maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & servo ejus Moysi.* Et quare, dices, populus ille electus tantoperè sibi timuit, ubi infensissimos hostes suos in littore vidit extinctos? Nunquid potius gaudere debuissent Hebræi, dum à tam crudeli ac miseranda Gentilium servitute fuerunt divinitus liberati?

Respon-

Respondent Interpretes, quod ideò dicti Hebræi timuerint, quia ^{Manf. & alii} ^{to. 4. disc. 8.} ^{n. 8.} videntes punitiōnem istorum rebellium, prudenter metuere poterant, ^{to. 4. disc. 8.} ^{n. 8.} severiori se fore mulctandos pœnâ, si DEUM post tot accepta beneficia ^{n. 8.} offenderent; sic & tu, ô anime mi! quò pluribus te agnoscis cumulatū à DEO & crucifixo JESU beneficiis, donis ac gratiis, eò magis semper tibi timere debes, ne ingratiitudinis notam incurras.

Ecce semper timendus DEUS & Homo Crucifixus, cui Pater dedit omne iudicium & omnem potestatem, hic enim, plus quàm Moyses, per virgam virtutis suæ (SS. Crucem) traduxit nos per mare rubrum passionis suæ in terram rectam, ac perpetuo lacte & melle manantem, infernali interim Pharaone cum exercitu suo in eodem passionis pelago submerso; hunc, inquam, Dominum timeamus: ^{Osten-} ^{Luc. 12. 5.} ^{dam vobis,} ait ipse, *quem timeatis; timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam:* Et hic Christus crucifixus est; ubi amor tuus, ubi timor tuus?

2. Adam summoperè sibi timuit, ubi post admissum suum delictum ad vesperam vocem Domini in paradiso deambulantis audivit: *Vocem tuam audivi in paradiso, & timui.* Et hic timor prima fuit Adamo ^{Gen. 3. 10.} dispositio ad pœnitentiam, & erroris sui emendationem: *Initium sapientia, timor Domini.* ^{Psal. 110. 9.}

Aprimo fure pomum vetitum in paradiso rapiente, transeamus ad alium in Calvario monte in cruce pendentem, ac culpam suam severissimo mortis supplicio luentem. Et dic, obsecro fodes, quænam hujus latronis tam stupendæ conversionis causa fuit? R. Prima hujus pœnitentis verba ab ore ejus emanantia: *Neque tu times Deum?* Ecce ^{Prov. 1. 7.} *timor Domini principium sapientia.* O egregium spectaculum, cernere pessimum latronem, manibus, pedibusque crucis patibulo affixum, totòque corpore cruore respersum, nunc linguam suam, quam solùm habebat liberam, tam subito in Dei laudes & crucifixi JESU honores solventem: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es: Et nos quidem* ^{Luc. 23. 40.} *justè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali fecim.* Et hic timor Dei erat initium ejus justificationis; hinc rectè Mellissius: *Tota interim beatitudo nostra est timere Deum;* Si hic timor perit, totum virtutum fundamentum ruit. ^{S. Bernh. ser. 5. de fest. omni. SS.}

3. Hujus latroni subjungo Centurionem & omnes illos, qui usque ad finem passionis Christi in cruce morientis fuerunt præsentes & spectatores, de quibus S. Matthæus: *Centurio autem, & qui cum eo erant, curiosiores JESUM, viso terra motu & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè Filius Dei erat iste.* Ecce timuerunt valde; prius enim audiebat Centurio, quòd ideò Christus ad ignominiosissimam crucis necem à Pilato,

urgentibus impiis Judæis, fuerit condemnatus, quia se Regem Judæorum, hoc est, Messiam & Filium Dei esse dixit; nunc videns ipse DEum tot prodigiis Filium suum attestari, agnovit eum verè esse Filium Dei, & timuit, & non ille solus, sed & milites, imò & omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, revertebantur. Audi S. Augustinum Crucifixum Dominum suum & timentem, & sincerè amantem: *Candet, inquit, nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigant brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis unda. Specta, gloriose Genitor gratissima prolis lacera membra, Vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum.* Vide ex his, qualiter ad Deum Patrem sit orandum, in timore videlicet & in amore:

Psal. 33. 10.

Timeo Dominum omnes Sancti ejus, & addit Vates Regius: Quoniam sanctus est Dominus etiam in cruce pendens, ubi passionem suam sibi esse voluit fellis & absynthii plenissimam, nobis autem ipso melle suaviorem; hinc torcular quidem crucis ipse calcavit, sed suavitatis vinum nobis expressit, quod omnes amatores Crucifixi JESU in se ipsis solent experiri.

Rom. 8. 34.

4. S. Paulus, ut neophytos suos Romanos in fide Crucifixi confirmaret, & ad eum timendum ac amandum fortiter excitaret, hanc illis auream in scriptis suis consignavit, & reliquit sententiam: *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam pro proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Adverte: Ad eum DEus peccatum odit, ut idcirco proprium Filium dederit in mortem, ut pro peccato ex justitia satisfaceret, & à peccato homines ad sanctitatem, æternamque salutem traduceret.*

O infinitus amor! non satis habuit DEus condonare culpas, & remittere pœnas, sed insuper voluit nos donare gratiâ suâ, ac veros facere amicos & hæredes regni cœlestis; idè dilectus Filius ejus in se suscepit mortem, ut nos vitâ donaret. O amor immensus! *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Unde monet S. Laurentius Justinianus, si offensæ divinæ gravitatem bene velimus cognoscere, & in timore Dei proficere, ut Christum patientem & Crucifixum nobis superius ante oculos ponamus, quia ex qualitate remedii facile cognoscitur vehementia languoris: Conspui, inquit, Christus voluit, ut nos lavaret; velari voluit, ut velamen culpæ & ignorantia a cordibus nostris auferret; in capite percuti, ut caput nostrum, scilicet Adamum sanitati restitueret; colaphis eadi, & verbis derideri, ut nos labiis & operibus ipsum laudaremus; demum occidi jubetur, ut vulneribus nostris pretioso sanguinis ipsius balsamo medeatur: Fusus est*

S. Laur. Justinianus in libro de Timore c. 4.

Fusus est

crucior Medici, & sacius medicamentum phrenetici. Agnoscamus igitur, quàm gravis sint nostra vulnera, pro quibus necesse fuit Dominum Jesum vulnerari.

¶ Hoc agnovit S. Philippus Neri, Congregationis, quæ Oratorii dicitur, Sæcularium Sacerdotum in communi viventium Fundator & Rector, quomodo amare, & simul timere debeamus Crucifixum Dominum ac Judicem nostrum. Cum in Campania apud patrum suum mercato em ageret, & Cajetæ portum, ubi mons petrosus est, tribus vastissimis hiatibus à summo usque deorsum dehiscens (qui mons in morte Christi scissus est, ubi etiamnum sacellum apparet per antiquam crucifixi imagine insignitum, quam nautæ, dum subjectum mare sulcant, adhuc hodie tormenti bellici edito fragore salutare assolent) In hoc, inquam, Sacello in petra exciso S. Philippus sæpius, ut mercator, divertens à Crucifixo instructus est, quam imposterum vitæ rationem & normam deberet instituere. Cœpit & hoc, & per reliquum vitæ tempus, quotiescunque piam Crucifixi effigiem conspiciatus est, à lacrymis & suspiriis temperare non potuit.


Hinc in omni adversitate ad Crucifixum Dominum suum confugit, cujus iconem semper in pectore suo gerebat, & hoc salutari signo Cæsarem Baronium à gravi morbo liberavit, multisque ægrotantibus & energumenis sanitatem ac salutem restituit; Imò & mortuum adolescentem ad vitam revocavit, qui resuscitatus ad Philippum dixit: *Pecatum memoriâ exciderat, illudque confiteri desidero*: quâ factâ confessione, imaginem Crucifixi ei porrexit, & adolescenti inter ulnas suas spiritum DEO reddenti, peramanter valedixit.

Quam insignis ulterius amator & cultor Crucifixi Jesu fuerit, apparet ex hoc, quod, cum semel in Oratorio S. Hieronymi cum suis alumnis Romæ moraretur, vacaretque de more divinis, demonidem Oratorium ingressus sit, ad cujus conspectum Sanctus exclamavit: *Heu vos Fratres: adstat demon*; ad quæ verba procumbunt omnes in genua: ipse verò SS. Crucis signo apprehenso confestim hunc Stygium tentatorem fugavit.

Quid dico de illius summa humilitate, dum se semper omnium peccatorum maximum sine ulla animi simulatione asserebat. Cum Beatissima Virgine sæpius exigebat plures horas dulcissimis colloquiis. Sacrificando & SS. Eucharistiam sumendo multoties liquecebat amore totus, & in aëra raptus; penetrabat secreta cordium; prophetiæ & miraculorum donis ditatus, neque loqui poterat de passione Christi sine verborum jactura & largis lacrymis, unde ad Crucifixum Amorem suum quotidie dixit: *A me tibi, Domine caveas; nisi enim me*

tuo

tuo protexeris auxilio, hoc utique die de proclama. Item: Lateris Crucifixi
Vulnus satis amplè pater: at ni DEUS adjuvet, faciam, ut ampliùs pateat.
Ecce hujus Sancti amorem & timorem erga Crucifixum JE-
SUM. Imitare.



CONSIDERATIO XCIV.

Christus Crucifixus, ut abominandam peccatorum nostrorum curaret lepram, & ipse leprosus factus est.

*Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse
portavit: Et nos putavimus eum quasi leprosum
Isa. 53. 4.*

I.

Ubi pretiosissimus orbis melioris Reparator Christus Petrum,
Jacobum & Joannem per ingentem piscium capturam ad sui
sequelam vocavit, leprosum hominem ad se venientem per
extensionem manûs suæ curavit, de quo S. Lucas: *Et ecce vir
plenus leprâ, & videns Jesum, & proci-dens in faciem, rogavit eum,
dicens: Domine si vis, potes me mundare: Et extendens manum tetigit eum, dicens:
Volo: mundare. Et confestim lepra discessit ab illo.*

Luc. 5. 12.

Observa: Leprosus erat universum genus humanum per peccatum
protoparentis nostri Adami, quæ lepra hæreditaria in omnes ho-
mines pertransiit: *In Adam omnes moriuntur;* Leporam prædicti hominis
Christus per extensionem manûs suæ sanavit; in cruce extendens ma-
nus suas exitialem peccatorum nostrorum lepram mundavit. Quis
igitur ad talem ac tantum Medicum non libenter accedat, quia & ipse
in cruce pendens tanquam leprosus reputatus est: *Vi-timus eum, & nos
erat ei species neque decor; & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussimus à
Deo, & humiliatum, ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attri-
tus est propter scelera nostra.* Collige ex hoc anima Christiana immensum
piet-

1. Cor. 15. 22.

Isa. 53. 2.